



Progymnasia

SACROSANCTVM
CONIVGII GENVS

QVO

SVMMI AC PRAEPOVENTIS DEI

FILIVS VNICVS

TAMQVAM SPONSVS

HVMANAM NATVRAM

VELVTI SPONSAM

IN VTERO MARIAE VIRGINIS

QVI INSTAR CHVPPAE

FVIT

A SPIRITV SANCTO

ARCTISSIMA COPVLATIONE

SIBI DEVINCIRI

PASSVS EST

VT HOMINES

PRIMORVM PARENTVM LAPSV

A DEO AVVLSOS

CVM EO ITERVM COLLIGARET

DIE QVO A. CIO DCCCXXXVIII.

GEMINAE GIGAS SVBSTANTIAE


EX TEGMINE CONNVBIALI

PRODIIT

HOC CARMINE PERSEQVI VOLVERVNT

SCHOLAE CATHEDRALIS ALVMNI

PRIMO ORDINI ADSRIPTI



NVMBVRGI,

TYPIS BALTHASARIS BOSSOEGELII PRIVIL. TYPOGR.

AK





* * *
Dhuc poëtas Pindaricis modis
Cantare iuuit connubii sacra,
Quae Saxonum rutam virentem
Siciliae sociant vtrique.
Terrena sed nos linquimus, et
sacra

Sacram canemus materiam die,
Illudque foedus coniugale,
Quo Deus ac homo copulantur.

Deliberato consilio, Deus
Primos parentes condiderat, suae
Exemplar ad diuinitatis,

Dotibus egregiis refertos,
Hac mente, certa gens hominum fide
Ut conditorem diligeret suum:

Ceu diligit solum maritum

Nupta, vagos fugiens amores.

Inuidit illi tartareus draco

Hoc auspiciatum coniugii genus,

Illud studens contaminare

Viribus ingenii sagacis.

Technis id egit, fraudibus et dolis,

Humana gens ut desereret Deum:

Ceu deserit fidum maritum

Moecha, fidem violans iugalem.

Succesit astus numinis aemulo:

Saeuo draconi virgo, Deo sacra,

Corrupta cesit, perduelli

Seque suumque dicans amorem.

Hinc ira laesi numinis incipit

Ardere flammis in genus improbum,

Illudque vult damnare, misis

Fulminibus, stygias ad umbras.

Gentis rebellis sed miserens amor

Vincit furorem zelotypum Dei,

Monstrans modum, quo dissolutum

Coniugium valeat coire.

Credatis, inquit, non Deus ac homo
Deuincientur; ni TRIADOS sacrae
Persona, nondum coniugatae
 Ingrediens vterum puellae,
Nascatur infans, corpore praeditus
Et mente, qualem gens hominum gerit,
 Substantiae vt gigas gemellae
Coniugium reparet solutum.
Communicatum consilium placet:
Sanctum probatur coniugii genus,
 Quo laesa pars, iudex et ipse
 Se similem faciat reorum.
Hoc munus in se fuscipit vnicus
Summi parentis filius, et fidem
 Dat, copulam sese futurum,
 Qua Deus ac homo colligentur.
Vix ire coepit dicta dies; statim
Quum perfidelis sponso adest, fidem
 Vt liberet, contentioris
 Conditionis homo futurus.
En sanctioris coniugii genus
Incomprehenso contrahitur modo:
 Solemnia et nunc nuptiarum
 Plausibus aetheriis aguntur.
En CHVPPA, venter virginis innubae,
Quem sponso intrat, progenies Dei,
 Humanitatem, ceu puellam,
 Perpetua sibi lege iungens.
Doctores instar spiritus est Dei,
Hoc par perenni foedere copulans,
 Sponsamque, sponso consecratam,
 Dotibus innumeris decorans.
En Gabrielem, munere pronubi
Functum: en gregales, qui paranymphii,
 Hoc conquiscentes stupendum
 Coniugii genus intuentur.

Auditis? aër carmine perfonat;
Nunc nuptiali, quod chorus accinit;
Dum copulatum par iugalis
Tegminis egreditur facellum:
SIT LAVS, BENIGNO GLORIA SIT DEO:
TERRAS REVISAT PRISTINA FAVSTITAS:
HVMANA GENS OMNI SALVTE,
SANGVINE IVNCTA DEO, FRVATVR.
Esther potentis coniugis in thronum
Scandens, salutis causa fuit suae
Gentilitati, quam furentis
Faucibus eripuit tyranni.
Coniuncta postquam nostra caro Deo est,
Qui maior ipsis regibus imperat;
In nos fluet cornu benigno
Copia luxurians bonorum.
Hunc ergo, qui nos plus geniis bonis
Dilexit vltro, quos sibi noluit,
Pulcherrimos quamuis, iugari,
Fas redamare iubet piumque.
Huic implicantes nos fidei manum,
Nec vis tyranni, nec mala temporum,
Nec mors, manus nobis cruentas
Iniiciens, ab eo reuellet.
Suprema tandem quum veniet dies,
Quam contremiscit turba rebellium;
Quum totus illabetur orbis:
Stabimus impavidi fideles.
Illis reiectis in stygium lacum;
Nos liberatos transferet in polum
Patronus et firmum salutis
Praesidium columenque nostrae.
Hic nuptiarum, quas grege cum suo
Caelestis agnus semper aget, sacris
Interfuturi, perfruemur
Nectaris ambrosiaeque donis.

* * *

78 M 496

ULB Halle 3
001 618 148



TA-506
K118
1017





Programmata

SACROSANCTVM CONIVGII GENVS

QVO

SVMMI AC PRAEPOTENTIS DEI

FILIVS VNICVS

TAMQVAM SPONSVS

HVMANAM NATVRAM

A S
AR

SANCTO

PR

NTVM LAPSV

G

SVBSTANTIAE

HOC

QVI VOLVERVNT

S

ALIS ALVMNI

TYPI

ELII PRIVIL. TYPOGR.



AK